

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Salutem in Christo JESU.

Post meum à vobis discessum, tertio die, qui erat dies Lunæ, Stutgardiam veni, & judiciorum normam D. Secretario partim coram partim per literas à nobis conscriptas exposui: pro qua re omnibus nobis & suo & imprimis Illustrissimi Principis nomine reverenter egit gratias. Hoc negotio pertactato accessi Dominum Brentium, cui præcedenti die filia annorum nata 12. mortua est; & præcipue, ut fieri solet, generali vestro omnium nomine salutavi. Primo cepti cum illo de scripto Prutenico conferre, & nostrum judicium paucis exponere: Quod ille approbavit, & ejusdem se esse sententiæ asseveravit. Interea retulit, quo odio ipse in Borussia propter sciolos quosdâm laboret, & quam sinistrè omnia sua accipiantur, &c. Tandem delapsi sumus ad communem, quam sustinemus cum Magistratu nostro, causam. Et ibi inter nos varia contulimus, audivit me placidissimo animo, etiam liberrimè, absque tamen contentione, dicentem: qua de re coram copiosius. Denique accessi eodem die D. Vergerum, qui inter alia exposuit, Martyrem significasse sibi, quod omninò decreverit, relicta Argentinâ, sese Tigurum conferre. Inutilis ergo est, & nullius momenti, omnis ea, quæ cum ipso actio instituitur. Ad vesperam Dominus Brentius me deduxit ad hortum Illustrissimi Principis, qualem ego nusquam vidi. Venit eò etiam D. Vergerius, qui pro sua autoritate me ad singula ejus horti loca inspicienda, amicè & humaniter duxit. Horâ quintâ ambo accessimus D. Brentium, invitati scilicet ab ipso ad cœnam: & ibi inter alia generalis nostræ causæ facta fuit mentio: contuli itaque cum illo. Refutavi, quibus ipse nititur argumentis, ita ut sperem, nos æquiores in ipso habituros judicem. Et, nisi me animus fallit, Grempius alia ratione consilia Brentii exponit, quam vel Brentius sentiat, vel ego ex ipsius relatione potuerim intelligere, Uterque jussit, ut tibi amicam salutem ipsorum nomine ascriberem. Historiam de homine irrequieto Johanne à Lasco, ex Flinnero intellexi, (transivit enim thermas Badenses) te habere: super eo contulit quoque mecum D. Brentius. Et Ecclesiæ status talis esse videtur, ut Diabolus extremam quasi tentet contra sanam doctrinam. Hæc volui paucis hoc nuncio ad te scribere. Et rogo, si forsitan uxor mea te rogarit pro aliquo adolescente pio & honesto, qui mecum in thermis ad tempus hæreat, ut illi meo nomine amice gratificeris. In thermis Cellensibus est Marchio Albertus, Comes de Bütsch, Princeps Fridericus de Simmeren, & nonnulli alii.

Ecclesiam meam in absentia meâ, tibi & tuæ fidei commendo. Rogo moneas, ne quid per negligentiam à Diaconis meis peccetur, aut minus legitime

tina

time administrerur. Dominum Restorem, D. Dasypodium & D. Herlinum, quibus ego propter subitum meum discessum valedicere non potui, rogo meo salutes nomine. Bene & feliciter cum omnibus tuis, & cum universo conventu nostro vale. Stutgardia 2. Jun. Anno 1556.

T. ex animo totus

Ludovicus Rabus. D.

XXXVI.

S Jucundum mihi fuit, per studiosum præsentium Latorem admoneri officii, quod quo minus tempestivè præstiterim, in causa est partim corporis ægritudo, quæ etiam nolentem effecit cessatorem, partim infelicitas quædam in tabellariis consequendis, ut quî tertio ad minus ipse ad nautas nostros properans, serius semper paulò veni, hoc est, cum jam naves solvissent, quo factum, ut literas etiam scriptas apud me retinere coactus sim, quod eò scribo, ne existimes, aut de industria aut supinitate silentio diuturniore usum. Acceperâ autem te ad Thermas profectum, sed domi te esse satis ostendit Studiosus, eoq; nomine gaudeo, maximè cum intelligam, P. Martyrem à Tigurinis vocari, ut defuncto Pellicano succedat. Ea enim in re quid profuturum Scholæ & Ecclesiæ sit & recte dispicies, & pro tua autoritate statues. Video & doleo controversiam circa Eucharist. etiamnum flagrare, de qua præstaret legitima piaque sanctorum & eruditorum Synodo tractari, quam amarulentis adeo libellis, quibus non fovetur meo iudicio, sed debilitatur potius syncera professio, & scandalis impletur Ecclesia, ex quibus & epicurica ingenia suæ impietatis, & fanatica errorum somniorumq; patrocina petunt. Sed si ita visum est Domino cribrari ecclesiam, ad suorum probationem, nos, quod nostrum est, simplici studio veritati hæreamus, æquanimitem non ammittamus, ad ædificationem gregis Christi toti incumbamus, quam ad rem non à me tu mi Marpachi, excitandus es, spiritu jam pridem Domini egregiè incitatus, sed ego, ne meo desim officio, debeo providere. Tranquilla apud nos sunt satis omnia, & de rebus Germanicis altum silentium. nisi quod Heroa Sebast. Schertelium accipimus in armis esse cum delectissima manu 8. Vexillorum, quæ Reipublicæ Augustanæ nomine conscripsit, in eum nimirum usum, ut parata sit aliqua *αποκαταστασις*, si quid Ferdinandica expeditio in nostros attentaret. Magdemburgum tranquillitate & pace frui, & ecclesiam non infelicitè florere, idq; cum aliqua disciplina, auditu valde gratum fuit, & laudo Dominum meritò ob eam benignitatem. Legati ordinum Papisticorum in Helvetiis rediere nuper, de quibus satis conitat, nihil peculiarium consiliorum cum Pontifice tractasse.

Studi-